

## CAPUT VII.

## DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT.

§ 56.

DE IRREGULARITATIBUS.

Non omnibus qui petunt, aditus ad ordines aperiendus est. Nonnulli enim ad ordines promoveri non possunt, et eorum ordinatio non modo illicita, verum etiam invalida omnino esset. Hujusmodi sunt nondum baptizati, et mulieres; ordinum enim sunt incapaces. Alii vero ordinibus recipiendis sunt inhabiles; si tamen ordinentur, illicite quidem sed valide ordinantur. Hos Nicaena Synodus I<sup>a</sup> can. 12 alienos a canone seu regula dixit, et Innocentius III irregularares appellavit, quatenus ecclesiastica regula eisdem impedimento est, quominus ordinentur; et si promoti sint, quominus susceptos ordines exerceant. Igitur irregularitas definitur: — impedimentum canonicum, quo ordinum susceptio, eorumque usus, si suscepti fuerint, interdicitur. — Ex qua definitione consequitur: 1. Irregularitatem quoque contrahi sine delicto; quod aliquis non criminosis, sed vitio corporis aut animi impedimento a regula alienus esse potest. 2. Omnem irregularitatem a jure esse nullam ab homine, cum sit impedimentum canonicum, quod a canone seu lege ecclesiastica constituitur, adeoque neminem irregularitate ligari nisi casibus jure expressis, quod diserte innuit Bonifacius VIII cap Is qui de sent. excomm. in 6<sup>o</sup>, illis verbis: « Licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit. » 3. Irregularitatem tum ordinum susceptioni, tum eorum usui directe obstare; indirecte vero obstare atque impediare, quominus beneficia ecclesiastica consequamur, dum

§ LVII. DE IRREG. EX DEFECTU NATALIUM. 93

ineptos et inhabiles reddit ad suscipiendos vel exercendos ordines, quos beneficium postulat.

Variae sunt irregularitatis species, sed omnis irregularitas vel ex defectu est, vel ex delicto, et idcirco ad haec duo capita omnis tractatio revocatur. Irregularitatem ex defectu gignit defectus natalium, animi, corporis, aetatis, libertatis, famae et lenitatis, quibus adde reddendis rationibus obstrictos et bigamos. Irregularitatem ex delicto pariunt homicidium, iteratio Baptismatis, indigna ordinum susceptio, pravus eorumdem ordinum usus, violatio censurarum, et demum haeresis: de quibus singillatim dicendum est.

§ 57.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM.

Ex defectu natalium irregulares sunt illegitimi, videlicet extra legitimas nuptias procreati. In veteri disciplina nemo qui dignus esset, ob natalium defectum ab ordinibus et beneficiis ecclesiasticis arcebatur, quod multis veterum Patrum testimoniorum ostendit Gratianus dis. 56. At saeculo praesertim undecimo cum Clerici meretrices et concubinas alerent, et filii ex nefando concubitu nati beneficia paterna mortuis parentibus obtinebant, sive occupabant, et Duces etiam et Comites, ut ait Christianus Lupus, « suos passim ex ancillis bastardos violenter intruderent in sacras dignitates, atque ita servili simul et adulterino sanguine foedarent Ecclesias; » primo quidem filii Presbyterorum, dein quilibet ex vetito concubitu nati, irregulares pronuntiati sunt « ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur, » quae verba sunt Concilii Trid. sess. 25 cap. 15 de Reform.

Sed illegitimi habendi non sunt filii ex justis nuptiis ante Sacerdotium geniti, nec proinde ab ordinibus et beneficiis repelluntur: tantummodo ad suspicionem haereditariae succes-

sionis avertendam nequeunt beneficia consequi, quae pater obtinuit, nisi media persona intercesserit. Neque illegitimi putantur infidelium filii, licet nuptiae in gradibus ab Ecclesia prohibitis initae sint, modo in ratione naturalis et civilis contractus valeant, quod docuit Innocent. III cap. ultimo, qui filii sint legit., neque demum illegitimis accensendi sunt, qui ex matrimonio ob dirimens impedimentum nullo quidem et invalido geniti sunt, si tamen uterque aut alteruter conjugum impedimentum invincibiliter ignoraverit; idque locum obtinet, etiamsi impedimentum postea compertum sit, et conjuges sententia Judicis invicem separati, cap 2 et 14 eod. titulo. At si parentes aut clandestinas nuptias inierint, aut denuntiationes omiserint, non censemur bona fide contraxisse unde filii nocent qui illegitimi et irregulares traducuntur.

Jam vero irregularitas ex defectu natalium orta tribus modis abstergitur. Primo quidem religiosa professione: si enim illegitimus monachus fiat, et professionem religiosam emittat, ad sacros ordines, non vero ad praelaturas licite promovetur; praelationes nullatenus habeant: cap. 4 de Fil. Presbyt. 2. Legitimatione, sive per subsequens matrimonium, sive per Romani Pontificis rescriptum, nam saecularium Principum rescripta ad effectus civiles tantummodo valent. 3. Demum dispensatione, quam pro minoribus Ordinibus et simplicibus Beneficiis Episcopus recte tribuit; ad ordines vero maiores, et ad Beneficia quibus animarum cura immineat, dispensatione Pontificis opus est.

## § 58.

## DE IRREGULARITATE EX DEFECTU ANIMI.

Defectu animi irregulares sunt qui carent ratione, scientia et fide confirmata. Primo itaque ob defectum rationis irregularitate ligantur dementes et furiosi, licetamentia aut furor intermissionem aliquam interdum faciat, quibus accensend-

sunt lunatici et energumeni, seu daemonicci, quod rationis usum intercism et veluti dimidiatum habeant, et epileptici sive morbo comitali laborantes, si praesertim eo morbo post decimum quartum aetatis annum correpti sint, quo casu ab ordinibus perpetuo excluduntur, ideo quod pubertate expleta vix aut nunquam epilepsia curetur. Quod si sacris ordinibus jam susceptis morbus superveniat, vetatur epilepticus rem divinam facere, nisi morbus integre anni spatio omnino cessaverit, et sacris datus operam Sacerdotem jejunum sibi adjungat, qui sacrificium perficiat, si forte epilepticus pristino morbo corripiatur. 2. Defectu scientiae irregulares sunt inscii litterarum; qui enim scientiam repellit, ab altari repellendus est. Episcoporum autem est judicare qua quisque scientia pro diversis ordinibus praestare beat. 3. Demum ob defectum fidei confirmatae promoveri non possunt neophyti, hoc est nuper per baptismum in Christo geniti, quandoquidem ipsorum constantia in fide adhuc dubia et incerta est; neque inter Magistros et Doctores populi collocandus qui necdum discipulus exstitit. Apostolus ipse vetuit neophytes ad Sacerdotium evehi, « ne in superbiam elati in judicium incident diaboli » I<sup>a</sup> ad Timoth. cap. 3. Quanto vero tempore neophyti probandi sint, jura non explicant ut recte sentire videantur, qui eam rem prudenti arbitrio Episcopi relinquunt. Ob eundem fidei confirmatae defectum arcentur in aegritudine baptizati, Clinici dicti quorum magna copia olim fuit. De quibus conceptus est can. 4 distin. 57 apud Gratianum: « Si quis in aegritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi postea forte ipsius studium et fides probabilis fuerit aut hominum raritas exegerit »

## § 59.

## DE IRREGULARITATE EX DEFECTU CORPORIS.

Ea semper fuit Graecorum disciplina ut vitia corporis irregularitatem non inducerent, nisi ejus generis essent, quae usum Ordinis impidirent. Primitus quoque saeculis eadem disciplina obtinuit in Ecclesia latina, et forsitan ob eam causam, quod persecutionibus ea tempestate furentibus plures ob confessionem fidei detimenta corporis patiebantur; quamobrem eo ipso defectu corporis summopere commendandi, nec proinde ab Ordinibus arcendi. At redditia Ecclesiae pace disciplina quoque immutata est, et Ecclesia latina leges jussit quibus corpore vitiati ab Ordinibus arcerentur. Sed non omnes defectus corporis irregularitatem parciunt, sed illi tantum qui aut sacro muneri obeundo impares faciunt, aut eam corporis deformitatem afferunt, ut horrorem aut risum moveant. Utramque hujus irregularitatis causam complexus est Eugenius III, cap. PRESBYTER de Cler. aegrot. ubi Presbytero, cui media palma cum duobus digitis abscissa fuerat celebrare non permittitur, quia « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membra hoc fieri potest. » Itaque propter corporis debilitatem aut membrorum jacturam irregulares sunt caeci et muti, carentes brachio aut pede, aut etiam digitis ad hostiam frangendam necessariis; paralytici aut manus ita tremulas habentes ut sine periculo effusionis calicis celebrare non possint, et vini abstemii, ut evomendi periculum adsit. Ob deformitatem irregulares sunt insigniter claudicantes, perridicule gibbosi, aut pusilli, leprosi, uno oculo orbati praesertim sinistro, quem canonis oculum dicunt: nescese siquidem est ut sinistro oculo carentes vultum indecorum contorqueant ad legendum Canonem. At si ambiguum sit, num corporis defectus, aut sacris ministeriis impedimento sit,

## § LX. DE IRREGULAR. EX DEFECTU AETATIS. 97

aut gravem deformitatem et offendit pariat, judicium ab Episcopo ferendum est, dispensatio autem, quatenus opus sit, ad Rom. Pontificem pertinet.

Verumtamen ratio habenda est defectuum, qui Ordines et Beneficia antecedunt, et eorum qui subsequuntur. Defectus enim qui Ordines et tonsuram praeiverint, ab omni ordine prorsus excludunt: qui vero subsequuti sunt ab usu ordinum arcent, quorum obeundis functionibus imparem reddunt. Rursus defectus qui tonsuram praecesserint, ad omnia beneficia irregularitatem inducunt; qui vero deinde contrahuntur, ab iis tantum beneficiis submovent, quorum excellens officiis impedimento sunt. Nemo autem beneficio privandus est ob defectum quo deinde afficiatur, « cum afflito non sit addenda afflictio, sed ejus miseriae miserendum » cap. 5 de Cler. aegrot.

## § 60.

## DE IRREGULARITATE EX DEFECTU AETATIS.

Immatura aetas a canone excludit, quod inordinatum est, eum ordinibus initiare, qui per aetatem ad obeunda Ordinum munera ineptus est. Aetas vero ad singulos ordines suscipiens haec est: vigesimus quintus ad Sacerdotium, vigesimus tertius ad Diaconatum, vigesimus secundus ad Subdiaconatum, et trigesimus ad Episcopatum; sed in Episcopatu annum jam expletum esse oportet, cap. 7 de Elect.; in reliquis Ordinibus inceptus habetur pro completo. Nulla pro tonsura et minoribus Ordinibus aetas constituta est, aut saltem dispositio Sacrorum Canonum adeo est ambigua ut Interpretes non consentiant inter se. Se communi Ecclesiae praxi, quae est optima juris interpres, Tonsura et Minores Ordines expleto septennio conferuntur. Favet Pontificale Romanum Rubrica de Ordin. confer. ubi ait: « Prima tonsura et Mi-

98 CAP. VII. DE IIS QUI PROMOV. NON POSSUNT.

nores Ordines ante septimum annum completum dari non debent. » Super irregularitate ex defectu aetatis solus Pontifex dispensat. Si quis autem, non impetrata dispensatione, Ordinibus sacris initietur, usu suscepti Ordinis usque ad legitimam aetatem suspenditur, et si durante suspensione in Ordine suscepto ministraverit, a canone alienus evadit. Ordinans autem jure ipso non suspenditur, sed suspensio a collatione ordinum in eum irroganda est, cap. 14 de temp. ordin. At si Laicum ante septennium expletum Clericali tonsura initiaverit, per annum a collatione ipsius tonsurae jure ipso interdictur, cap. fin. eod. tit. in 6°. Verum hujusmodi poenis non afficiuntur qui culpa vacant, veluti si quis in errorem inductus testimonio parentum, aut alio legitimo documento ante canonicam aetatem ordinetur.

§ 61.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LIBERTATIS

Servi, ob conditionis vilitatem, et praesertim ob vinculum servitutis, quo suis dominis adstringuntur, per S. Canones ab ordinibus arcentur. Si tamen aliud nihil obstet, et domini voluntas accesserit, liberi et ingenui fiunt, et suscipiendis Ordinibus habiles. Quod si inconsultis omnino dominis, aut contradicentibus servus ordinetur, « decretum est ut deponatur et ejus dominus eum recipiat: » ut dicitur cap. 2. de serv. non ordinan., quod tamen interpretes accipiunt de servis qui minoribus ordinibus iniciati sunt. Namque in sacris Ordinibus constituti in servitutem non revocantur, quod Justinianus constituerat, sed ex regulis ecclesiasticis in ordine suscepto permanent, verum Episcopus qui sciens ordinavit, vel ii qui ignorantia aut dolo testimonium de libertate servi Episcopo dixerunt, dupli satisfactione compensare debent, can. 19. distinct. 54, videlicet domino aut duos servos alios, vel duplum

§ LXII. DE IRREGULAR. EX DEFECTU FAMAE. 99

pretii in damni reparationem tribuendo. Sed haec de servis satis sint, quorum pene amisimus usum.

§ 62.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU FAMAE.

Trita est juris regula « infamibus non pateant portae dignitatum. » Itaque infames cum a publicis et civilibus officiis, tum etiam ab ordinibus ecclesiasticis merito repelluntur. Infamia vero aut juris est, aut facti. Infamia juris tribus modis inducitur. 1. Ob crimen perpetratum, cui civili aut, uti aliqui putant, ecclesiastica lege infamiae dedecus inhaeret, dummodo et sententia Judicis declaratoria criminis accesserit. Item vocati in crimen furti, rapinae, expilatae haereditatis et hujusmodi criminum, quae nec jure publica sint, nec famosa, ob sententiam condemnatoriam infamiae macula notantur, L. INFAMEM 7° ff. de publ. Jud. 2. Ob infamem poenam, qua quis multatus est, si ex. gr. ad triremes condemnatur. 3. Ob exercitium artis cui turpitudinis nota inusta est, sicuti ars mimi, histrionis, foeneratoris et hujusmodi. Infamia facti est, dum aliquis reus alicujus criminis promulgatur, quo apud graves et honestos viros fama et existimatione decidit, etiamsi judex sententiam non tulerit. Ex quibus colliges occulta crima auctoribus suis infamiam nullam inurere, cum nemo ex occulto crimine diffameret. Si quis igitur hominem clanculum interficerit, non quidem ex defectu famae, sed tantum ex defectu lenitatis irregularis habendus erit. Jam vero infamia facti per publicam morum emendationem abstergitur; sed infamia juris tollitur aut sententia Judicis, qua innocens pronuntietur qui falsis testibus, vel praeumptionibus oppressus damnationis judicium subierit, aut Pontificis dispensatione, quae jam promotis, ut possint sacro ministerio fungi, raro admodum conceditur et ferme nunquam promovendis,

qui non ordinis usum, sed ipsos ordines postulant; tum vero utroque casu spes omnis dispensationis recisa est, si aut nulla poenitentiae edita signa, aut dispensatio futura sit populo offensioni et scandalo.

## § 63.

## DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LENITATIS.

Immites quoque irregulares sunt, qui scilicet morti aut humani sanguinis effusione causam aliquam, licet justam et legitimam praebuerunt. Mite enim est ingenium Ecclesiae, nec permittit immites esse ministros incruentae et coelestis victimae, quae tantum abest ut sibi injurias illatas ulta sit, ut potius pro suis persecutoribus vitam fuderit. Igitur alieni a canone sunt : 1. Judices qui sententiam mortis aut mutilationis pronuntiant, eorumque assessori qui suffragium aut consilium conferunt, si tamen sententia ad affectum perducta sit. Judex antem Ecclesiasticus in Clericum aut Laicum sibi jure delatum sententiam sanguinis proferre vetatur : qui secus egerit, non modo alienus erit a Canone defectu lenitatis, qua irregularitate laici etiam afficiuntur, sed praeterea graviter delinquit, et poena depositionis mulctatur. Siquidem Alexander III cap. 5 Ne CLERICI VEL MONACHI, ita sancivit : « Clericis qui in sacris ordinibus constituti sunt, ex Toletano Concilio judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; quod si quis tale fecerit, honore privetur et loco.» 2. Accusatores, delatores, scribæ, notarii et advocati qui contra reum postulant. De testibus autem nihil exploratum habemus in Jure Canonico : verumtamen Doctores inter voluntarios et necessarios testes discrimen faciunt; et necessarios quidem, seu ad testimonium ferendum a publicis Judicibus coactos nulla irregularitate irretiri docent, dum id faciunt, a

quo sine peccato vel gravi detimento abstinere nequeant, praesertim vero, si protestentur expresse, se vindictam seu poenam sanguinis non intendere ad forman cap. PRAELATIS de homicid. in 6°. At voluntarios testes nemo unus ab irregularitate exemptos putat, etiamsi protestentur; nam protestatio contra factum non valet, ut vulgo dicitur. 3. Carnifices, lictores, et quotquot ad cruentam exsecutionem operam conferunt.

Contra vero irregulares non habentur : 1. Clerici qui Principi suadent, ut quorundam criminum reos morte aut mutilatione plectat, glossa communiter recepta in cap. 10 de excess. Praelat. verb. *consuluit*, nec Princeps, qui legem tulerit, quod hujusmodi leges non hominis occisionem aut mutilationem spectant, sed quietam et rectam Reipublicae administrationem. 2. Episcopi, Praelati, et reliqui Clerici, qui jurisdictionem temporalem obtinentes, causas sanguinis suis ballivis seu aliis judicibus committunt, etiamsi ballivus, seu judex ad poenam sanguinis processerit, cap. fin. Ne CLERICI VEL MONACHI in 6°. 3. Judex ecclesiasticus, qui Clericum obstinato animo criminibus adhaerentem jam depositum et degradatum Curiae saeculari tradit, si tamen in actu traditionis intercesserit, ne poena capit is damnetur; qua protestatione seu intercessione irregularitatem evadit, quamvis certo animadvertisat Clericum poena mortis afficiendum, cap. 27 de verb. signif. 4. Clerici qui gravi damno vel injuria affecti, reos apud Magistratum denuntiant, actione tamen civili, qua damni et injuriarum reparationem postulent, et expressa protestatione, quod vindictam et poenam sanguinis non intendant, et quidem « ne detur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi » cap. 2 De homicid. in 6°.

## § 64.

## DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA.

Obligati ad ratiocinia in jure vocantur reddendis rationibus obstricti ob rei sive publicae, sive privatae administrationem gestam, veluti Syndici, Thesaurarii, Tutores et Curatores, et id genus alii. Itaque hujusmodi administratores ante rationes redditas et solidatas ordinari vetantur, cap. unic. de Obl. ad ratiocin., tum ne conditio creditorum ob privilegia clericalia deterior fiat, tum etiam ne Clericus cum probro et dedecore Ecclesiae de fraude aut dolo postuletur. Quod si administratores sponsore dato rem creditoris tutam fecerint, non amplius irregulares videntur, quod cessante fine legis, ipsam legem cessare compertum est. At vero si nullo sponsore dato, nec redditis solidatisque rationibus ad ordines promoteantur, idque dolose factum sit, ab Episcopo puniri poterunt, non tamen deponi, nec usu Ordinis interdici. Interim vero creditoribus faciendum est satis, etiam cessione bonorum, incolumi tamen beneficio competentiae; et si Episcopus sciens ordinarerit, nec bona ordinati solvendo sint, tenetur Episcopus, quod deest, supplere, quatenus creditoribus nocuit, ordinato facultatem adimens lucrandi negotiandique, aliaque saecularia negotia exercendi.

Olim Curiales seu Decuriones, qui Curiam seu Senatum inferiorum Civitatum componebant, eorumque bona oneribus et expensis Curiae perpetuo obnoxia manebant, inter Clericos cooptari vetabantur. Sed modo mutata administranda Reipublicae forma Curiales esse desierunt.

## § 65.

## DE IRREGULARITATE EX BIGAMIA.

Bigami quoque alieni a canone sunt. sive veri, sive inter-

## § LXV. DE IRREGULARITATE EX BIGAMIA. 103

pretativi, sive similitudinarii. Bigami veri dicuntur plurimum uxorum mariti, qui nimis mortua prima uxore alterum conjugium inierunt. Hujus autem irregularitatis ratio est, sive macula incontinentiae quam praferunt secundae nuptiae, sive defectus Sacramenti quod Bigami non exhibent Sacramentum conjunctionis Christi, qui cum unica et Virgine Ecclesia copulatus est. Bigami interpretati sunt, qui quamdam sacramenti normam amisisse videntur, ut loquitur Augustinus de Bono conjugali cap. 18, qui cum vidua aut muliere ab alio corrupta matrimonium contrahunt. Demum similitudinarii habentur qui in Sacris Ordinibus constituti, aut solemnri voto castitatis adstricti matrimonium attendant, aut etiam qui virgines Deo dicatas in matrimonium ducere audent. Hi siquidem voti, aut sacrarum Virginum violatores per quamdam similitudinem bigami dicuntur, sive quod post conjugium spirituale alias carnales nuptias attendant, sive quod Virginibus jam Deo despontatis tanquam uxoribus abuntur.

Itaque Bigami tum ordinibus etiam minoribus suscipiendis, tum susceptorum ordinum usu interdicuntur, et praeterea « omni clericali privilegio nudati sunt, et coercioni fori saecularis addicti, » quod sancitum est cap. unic. de Cler. non ordin. in 6°. Quibus quidem verbis, licet generalibus, minoris tantummodo Clerici continentur, ut explicat glossa in idem caput, eamque Interpretes omnes sequuti sunt. Qua de re si maiores Clerici bigamiam contrahant, omni quidem ecclesiastico ministerio privantur, sed privilegia clericalia non amittunt.

Impedimentum bigamiae sola dispensatione tollitur, quam Pontifex tantum bigamissive veris, sive interpretativis tribuere potest; verumtamen in bigamia similitudinaria dispensandi potestas Episcopis etiam permissa est, cap. 1 QUI CLERICI VEL VOENTES, ubi Alexander III de Diacono qui uxorem accepit ad Episcopum Remensem rescribit: « ut injuncta poeni-